

altis fundamentis impositam, ut pene plus operis illa hau-
serint, quam id reliquum sit, quod extat. Ejus fastigium,
quod ex purissimo fulget auro, in eam assurgit altitudi-
nem, ut non solum urbem, quam circumquaque subjicit
habet, contemplari inde liceat, sed ad ortum quoque &
meridiem, longe lateque in ipsum mare aperiat prospectum,
ita ut ex Histria Dalmatiaque introrsum navigantibus, ad
ducenta & amplius stadia fulgor ille, tanquam fidus quod-
dam salutiferum, occurrat. Polani atque alii non pauci
Histriæ accolæ, latrociniis sinum infestabant: in hos Ducis
filius & Marinus Gradenicus cum quinquaginta instructis
navibus sunt missi: Pola obsideri cœpta. Sed sub primam
fere obsidionem civibus pacem potentibus, his conditioni-
bus est data, ut a maris infestatione abstinerent: cæterum
ut bina millia pondo olei quotannis Divi Marci fano in-
ferrent. Parentini quoque & ipsi pari metu perculsi, si-
quando Dux ad bellum iret, auxilia pollicentur: Hemo-
nienses & auxilia & annum olei tributum: quibusdam
etiam accepti imperii confessio expressa est, vectigalium
immunitate Venetis negotiatoribus promissa. Anconitani
per id tempus in Venetorum societatem venere: & cum
Guilelmo Siciliæ Rege, qui Rogerio successerat, fœdus
percussum: atque ob hoc ipsum multæ ab eo immunita-
tes Venetis negotiatoribus, Siciliæ emporia frequentanti-
bus, concessæ. Anastasius Romanus Pontifex, Venetis an-
nitentibus, Jaderensem Ecclesiam Metropolitanam decla-
ravit: cui omnes Insulanæ urbes proximo tractu adjacen-
tes subjecit. Libet suspicari, id non tam Jaderensium gra-
tia factum, qui tum parum integræ fidei in Venetum im-
perium habebantur, quam in reliquæ Dalmatiæ invidiam:
quæ per id tempus a Venetis magna ex parte alienata, sub
Pannonia Regis erat præsidio. Quod si ita est (nam non
desunt, qui hoc quoque scribant) omnino negaverim, Spa-
latrum, Tragurium, aut oppidum Dalmatiæ ullum, præ-
ter Jaderam a Dominico Michaele ex Syria redeunte rece-
ptum; aut certe Vitalis Michaelis secundi temporibus ea
declaratio facta est: quo Duce Tragurium, Spalatum,

1149

1150
*Plerique
Histria po-
puli tribu-
tarii facili.*

1151

1154